

## Regnum Mortuorum.

Commercium literarum vivos inter, et mortuos.

Ad John Bolingbroke in Elisio.

*Ex mundo die 27. Septembris 1808.*

Sermo, quem nuper cum celebri Pittio in Elisio mihi scebas, per garrulitatem Novellistarum Regni Mortuorum, nobis quoque innotuit. In hunc ego tibi nunc commentarium scripturus sum.

Celeberrimums Europaeae Heros, Erfordium profectus est, ut, (quemadmodum ipse ad quemdam Germaniae Principem scripsit) orbi universo pacem procuraret. O beatitudinem desideratissimam!

Sed ponamus casum, quod Anglia iteratam, certaeque basi innixam mediationem Russicam, Insurrectioni Hispanicae confidendo, non acceptet; aut quod mediatio talis intuitu pacificationis generalis Angliae non offeratur; quid inde sequetur? Qualiter pax orbi universo procurabitur? — Veri nominis hic est nodus Gordius.

Estne possibile orbi pacem procurare, quin potentia illa, cujus dominatui omnia maria, adeoque duae tertiae orbis subsunt, quin inquam Anglia quoque in consilium vocetur? Respondeo: est; jamque ad dimidium usque processimus possibilitatis.

Melicem, et forte diuturniorem agebant vitam Europaei, dum America necdum detecta fuisset; cum via ad Indiam per promontorium bonae spei nondum pateret; cumque nullae adhuc in Indiam ductae fuissent coloniae; quid, si nos commodum proprium, et circumstantiarum vis rursus eo deducerent, ut sicut Praedecessores nostri, quibus ignota fuit India, vivere, omnibusque productis inde derivatis carere deberemus? — Neque est haec fictio mere poetica; multum enim potest is, qui omnia posse jam demonstravit; et quis illum, quaeso, impedit, ne in eum statum reducamur, in quo Praedecessores nostri erant, antequam America detecta fuisset? Quodsi meditare expendere velimus, quid hucusque evenit, quid nunc eveniat, et quid in posterum vi, et potentia evenire enecessario debet, susceptate inferemus: multa visa fuisse impossibilia, et inconceptibilia, nihilominus tamen evenisse.

In casum ergo, quod Anglia propositionibus Imperatorum Galliae, et Russiae accedere nollet, quid in Contra-

nente Europae, relate ad pacificationem generalem consequi potest?

Praemittere hic quaedam ex Historia necessum est. Bella nempe, quae Gallia a Revolutione gessit, in tres periodos dividi possunt. Tempore illo, quod ad primam periodum refertur, conabatur Gallia hostes, qui in Galliam irruerant, reprimere, quod ei ex voto successit. In secunda periodo pono, planum illud, quod jam Ludovicus XIV. sibi proposuerat, ut nempe territorium Gallicae Rhenum usque extenderetur, resumpsit; successitque ei etiam istud. His ad effectum deductis, restabat adhuc id, ut Angliam, quae turbulentis temporibus his dominatum maris universi usurpavit, eo permoveeret, quo omnes Nationes liberum per maria exercere possent commercium. Atque haec est periodus tertia, quo ultimus Galliae finis refertur, ob quem in continente bella gessit.

Ad obtinendum finem hunc conabatur omnimode Gallia omnem Angliae influxum in Continentem prohibere, continetentemque Europae respectu Angliae, si ita loqui velimus, convertere. Inde repetendum venit ultimum bellum Austriacum, quod pacificatio Posoniensis consecuta est, tum bellum Borussiae, et Russicum, quibus pax chronopolitana finem imposuit. Conversa est igitur armis medianibus relate ad Angliam Europa, periodusque tertia effectuta est. Potentiae omnes tam politicum, quam commercialem influxum Angliae e ditionibus suis exesse jusserunt.

Cessat nunc jam omnis causa, cur bella in continente continuari deberent. Siquidem tamen Anglia nondum devicta sit, marisque dominatui renunciare nolit, imo dispositiones belli perpetui fecerit, necesse est, ut hostilitas continentalis adversus Angliam perennis reddatur, quemadmodum Anglia bellum maritimum perpetuo gerere intendit. Atque hic est, ni fallor, Congressus Erfordinensis finis. Potentiae continentales inter se pacem colent, at si Anglia cedere noluerit, semper contra illam pro posse hostilem in modum agent.

Perpene nunc, quid hinc sequi possit. Si Anglia principiis suis pervicaciter inhaeserit, facile eidem ingressus in mare balticum praecludetur. Svecia convertetur, atque cum Russia, et Dania cooperabitur. Sic fiet, ut commercium Russicum per canalem Chiloniensem ad Albim, et ultra promoveatur, ipsumque commercium orientale aliam sortiatur viam. Cessante dominatu turcico per Danubium producta industrialia gallica in Turciam, vicissimque producta turcica ex Asia in Europam per Danubium devehiri poterunt.

Haec sunt, quae de Congressu Imperatorum Galliae, et Russiae vaticinari licet; ubi hi semel in plano suo con-

venerint, Potentiae reliquae conventioni huic suapte adstipulari debebunt. Conservabitur hac ratione pax continentalis, etsi Anglia bellum maritimum persecuta fuerit, quae serius, aut citius — succumbere debebit.

Adnecto Tibi praeterea relationes novissimas relate ad operationes bellicas in Lusitania:

(Vide Europam.)

*Diarium Politicorum Eventuum.*

Die 26. Septembris Imperator Napoleoa Francofurto discessit, ac die 27. Erfordiam advenit. — Quarta vice jam nunc Germaniam invisit Napoleon; prima vice quidem occasione Congressus Rastadiensis; dein occasione belli Austriaci; tum exoto bello Borussico; ac denique nunc Erfordiae, qua Angelus pacis generalis.

Die 27. Septembris Princeps Badensis cum Principissa Rineri semet accinxerunt, at non, ut putabatur, Erfordiam, sed *Manheimium*. Princeps Borussiae Vilhelmus hucdum hic commoratur, suntque in ejus comitatu, supremus Vigiliarum Praefectus Comes *Golz*, Adjutus *Hedermann*, Secretarius Legationis *Lecoq*, et Secretarius *Gillenet*. —

Die 22. Septembris Rex Hollandiae concessa Legato Austriaco extraordinario B. *Crumpipen* audientia, gratulationem Austriae Imperatoris, et Imperatricis, de feliciter auspiciatis Coronae Principis nuptiis, excepit. — Per id, quod vigore Patentium de 14. Septembris mutuum a 5 per Centum in schedis bancalibus non tantum acceptetur, sed etiam in Bonis Austriae, et Bohemiae cameralibus intabulatione concedatur, valor Schaedarum bancalium Viennensium Augustae Vindelicorum nimis increvit.

*Berna die 21. Septembris.* — Die 9. Septembris nocte in arcem *Neufs* (Nyon) larvati, armisque instructi homines irruerunt, et perfractis carceris foribus, hominem quemdam, commercii vetiti reum, eduxerunt. Inquiritur nunc haec in rem, illique 100 Aurci promissi habentur, qui, quid hac in re subsit, docuerit.

Princeps Primas, M. Dur: Herbipolitanus, et Princeps Badensis cum Principissa, proxime Erfordiam proficiscuntur; quod vero omnes Foederis Rhenani Principes eo conventuri sint, nulla nititur veritate. — Perhibentibus literis, sub 24. Septembris Erfordia scriptis, Princeps Beneventanus (Minister *Talleyrand*) Princeps *Reufs*, et Generalis *Claparide*, eo advenerunt. — Agmen Mareschalli *Victor*, in Hispaniam destinatum, Parisios advenit, magnaque cum solennitate exceptum est, quae pro caeteris etiam agminibus praeparatur. — Copiae Hollandicae quoque dis-

20. Septembris Parisios advenientes, coram palatio Reginae Hollandiae ritu militari constituerunt. Officiales Marchallus *Verhuell*, in qualitate Legati Hollandici Parisiis residens, Reginae praesentavit.

*Angli a.*

*Londino 13. Septembris.* De operationibus bellicis in Portugallia haec continent paginae publicae: Diebus 16. 17. et 21. habebant copiae nostrae rem cum Gallis, ubi 400 Anglorum occiderunt, et 600 vulnerati sunt. Galli pugnant cum vehementia, in quorum captivitatem 400 Anglorum devenerunt. Relatio, quam Marchio Vellesley nobis miserat, erat multum exaggerata. Ex castro S. Juliani ad Olissiponem formavit Generalis *Junot* castra propemodum inexpugnabilia, quae 500 tormenta defendunt, et ad 6 menses omnibus praevisa sunt. Agmen Generalis *Spencer* in pugna ad *Vimieram* 21. Augusti pene totaliter ruinata est; ab hoc tempore nulla ulterior advenit relatio; interea temporis Generalis *Baird* ex Hibernia cum agmine suo in Portugalliam ire jussus est, quorsum etiam Generalis *Moore* cum suo jam trajecit. Sperandum est, Hispanos gloriosam hanc luctam cum Imperatore Napoleone sustentaturos, qui a dispositionibus suis circa Hispaniam factis nec unguem recedere vult, et honor nationalis provocat nos, ut eis omnibus viribus succurramus; omnia dependent ab energia nostra. Plus quam 8000 delectissimorum Veteranorum Galliae tendunt in Hispaniam, sed jam probarunt Angli, quod ibidem viros reperiant, qui cum ipsis congredi audent. Galliae Legiones ex Borussia redeunt in Galliam; ergo Bonaparte debet esse certus de mente pacifica Imperatoris Austriae, aut contemnit vires ejus; aut forte confidit in amicitia Russiae, quod nempue Imperator Alexander in casu necessitatis, contracto in limitibus Poloniae valido exercitu, Austriae impositurus sit. Navis subsidiaria Anglica *Seahorse* dicta habuit in conspectu Dardanellarum conflictum cum tribus navibus Turcicis, quod tribus horis duravit; quarum una capta, altera mersa est, tertia vero evasit; Turcarum 500 partim coesis, partim sauciatis.

Hanc officiosam Anglorum relationem exhibet etiam Monitor Parisiensis, sed cum acutis, ut solet, notatis, quae in summa eo redeunt: Quod Anglia, quae suos in Portugallia victores esse dicit, tamen novas suppetias mittat. Quod Galli optent, ut 100 Millia Anglorum tandem ad continentem veniant, et Angli mala belli noscere discant. Quod omnes Potentiae Continentis amicitiam Angliae jam noscant, et quod Angli se amicos Portae ottomannicae jactent, et tamen eam bello impetant.

pereg  
pereg  
vix a  
provi  
est:

para  
in G  
Hispa  
tionu  
mat l  
digna

bant  
prim  
relat  
span  
exerc  
objec  
atten  
ris:  
Hisp  
ceps  
tur,

gnan  
Porr  
ones  
arma  
tinet.

sis,  
Pyro

milit